



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Quibusdam præmissis, utraque difficultas resolvitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

quod est impossibile, ut disputatione sequenti patebit. Minor verò probatur: illud solum potest impedire personalitatem creatam, quod potest tribuere naturæ totum quod potest ei conferre propria personalitas. Atqui subsistentia communis non potest conferre naturæ totum quod ei tribueret propria personalitas: Ergo illam non potest impedire. Major patet, Minor probatur. Subsistentia propria tribuit naturæ quam terminat per se existentiam, & incommunicabilitatem; subsistentia verò absoluta, posset quidem tribuere naturæ existere per se, sed non incommunicabilitatem: Ergo non posset ipsi conferre totum quod ei tribueret propria personalitas.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, nam per unionem humanitatis ad subsistentiam Dei absolutam, formaliter excluditur & impeditur propria personalitas, quia hic modus existendi in alio tanquam in sustentante, formaliter repugnat cum propria subsistentia. Unde ad probationem in contrarium, nego Majorem: Ad hoc enim ut subsistentia absoluta impediat in natura assumpta propriam personalitatem, sufficit quod tribuat illi naturæ existere per se, licet non conferat illi incommunicabilitatem; nam cum ratio existendi per se sit prior in persona ipsa incommunicabilitate, impeditur personalitate propria sub prima ratione, consequenter impeditur absolute non resultet ex humanitate assumpta.

Ad id quod, licet per unionem humanitatis ad subsistentiam absolutam non conferretur ei formaliter & immediate incommunicabilitas, bene tamen concomitanter & mediatè; quia eo ipso quod talis natura subsistentiæ absoluta primario & immediate conjungeretur, secundario & mediatè (ut supra dicebamus) uniretur tribus subsistentiis relativis divinarum personarum, à quibus redderetur incommunicabilis.

ARTICULUS IV.

Utrum plures Personæ Divinæ possint terminare immediate eandem naturam humanitatem, & plures humanitates ab eadem persona assumi?

§. I.

Quibusdam promissis, utraque difficultas resolvitur.

Certum & indubitatum est apud omnes Theologos, posse quamlibet ex personis divinis, creatam terminare naturam, illique hypostaticè uniri: Nam ut discurrit D. Thomas hic art. 5, assumere naturam creatam convenit Deo ratione omnipotentia: ut principii assumptionis, & ratione personalitatis ut termini: Sed cuilibet ex personis divinis convenit omnipotentia, & propria personalitas, infinita in terminando, seu habens vim terminativam infinitam: Ergo quamlibet Persona divina potest sibi assumere naturam creatam, eique hypostaticè uniri.

Nec inconveniens censei debet, Patrem, supposito quod carnem sumeret ex Virgine, fore illius filium; nam filiatio hæc temporalis competere Patri, ut terminanti temporalem generationem; esse verò patrem illi conveniret, ut est principium generationis æternæ: non repugnatau-

tem eandem personam divinam esse patrem & filium secundum diversas rationes, nec ex hoc sequitur divinarum personarum confusio, ut notavit D. Thomas hic art. 5, ad 1. In eo tamen casu Pater, ut subsistens in natura creata, non posset dici filius naturalis Dei, sicut Christus: quia Christus, ut subsistens in humanitate, est filius naturalis Dei, ratione filiationis æternæ in tempore humanitati unitæ: si verò Pater sibi humanitatem assumeret, ut subsistens in illa, non esset filius Dei filiatione æternæ, unita in tempore humanitati, quandoquidem non filiatio, sed paternitas humanitati uniretur: Ergo Pater ut subsistens in humanitate, non esset nec dici posset filius Dei naturalis per gratiam unionis, sicut Christus.

Constat etiam ex dictis articulo precedenti, posse tres Personas Divinas simul unam terminare naturam, terminatione mediata, ratione Deitatis, seu subsistentiæ absolutæ, eam immediate terminantis: ut enim ibidem dicebamus, eo ipso quo natura creata subsistentiæ absolutæ primario & immediate conjungeretur, tribus subsistentiis relativis divinarum personarum, subindeque tribus personis, secundario & mediatè uniretur. Tota ergo difficultas consistit in unionem seu terminationem immediatam, an scilicet tres Personæ Divinæ possint immediate uniri eidem naturæ, illam terminando immediate per subsistentias relativæ & personales?

Partem negativam tenent Scotus & Discipuli ejus, quibus adhæsit Cardinalis Delugo disp. 18. sect. 6. Affirmativam verò cum S. Doctore amplectuntur alii Theologi, tam extranei, quam domestici, cum quibus.

Dico primò, plures Personæ Divinæ possunt assumere eandem naturam, eamque propriis subsistentiis relativis immediate terminare. Ita D. Thomas hic art. 6.

Probatur conclusio ratione quam ibidem innuat: Si simultanea terminatio ejusdem naturæ à tribus Personis Divinis repugnaret, deberet repugnantia se tenere vel ex parte personarum terminantium, vel ex parte naturæ terminabilis: Sed

ex neutro capite potest repugnantia seu contradictio reperiri: Ergo simultanea illa ejusdem naturæ terminatio non repugnat. Major patet, Minor etiam quantum ad primam partem, est certa, nam Personæ Divinæ non se excludunt à convenientia in eadem natura, cum omnes simul terminent naturam divinam: Ergo ex parte illarum non implicat simultanea terminatio ejusdem naturæ creatæ. Pro secunda verò parte probatur: Natura creata est terminabilis à Persona Divina, ratione potentia obedientialis: Sed ex parte hujus potentia nulla repugnantia oritur, si ex parte termini nulla includatur: Ergo non repugnat simultanea terminatio à tribus Personis Divinis ex parte naturæ creatæ.

Confirmatur: Tres personalitates divinæ simul terminant naturam Dei: Ergo possunt simul terminare eandem naturam creatam. Patet Consequentia primò, nam quod personalitas divina possit extendi secundario ad terminandam naturam creatam, illi convenit, quia primario terminat naturam divinam, in quo omnis natura creata eminenter continetur: Ergo si omnes simul in natura divina primò terminanda conveniunt, possunt etiam simul in natura creata secundario terminanda adunari. Secundò probatur à paritate rationis, si enim natura divina tribus subsistentiis subsistit, in hoc quod est unam & eandem natu-

naturam tribus subsistentiis subsistere, nulla involvitur implicancia, ac proinde non repugnabit naturam creatam tribus subsistentiis divinis terminari.

80. Respondent Adversarii, negando consequentiam & paritatem, quod enim (inquit) natura divina possit tribus subsistentiis terminari, illi convenit ob suam infinitatem, ac proinde ad naturam creatam, limitatam, & finitam extendendum non est.

81. Sed contra primò: Licet infinitas naturæ divinæ sit ratio propter quam est pluribus modis infinitè & ad intra terminabilis, non tamen est ratio formalis propter quam est pluribus modis terminabilis ut sic, abstrahendo à terminatione finita & infinita, à terminatione ad extra & ad intra; unde nihil aliud concludit instantia seu dispensat assignata, quam quod natura creata, eo ipso quod finita est, non est simul terminabilis pluribus modis, nisi finitis & extrinsecis, cum quo stat veritas nostræ conclusionis.

82. Secundo: Licet naturam aliquam posse terminari pluribus subsistentiis divinis conaturaliter, idque ab intrinseco exigere, ex infinitate proveniat; esse tamen terminabilem solum præternaturaliter, & per potentiam obedientialem, infinitatem non arguit: At non primo sed secundo modo constituitur à nobis natura creata simul terminabilis à tribus personis divinis: Ergo limitatio non obstat. Minor patet, Major verò sic ostenditur. Terminabilitas connaturalis ab una personalitate infinita, non potest competere naturæ quæ infinita non sit, & tamen posse obedientialiter terminari ab una personalitate infinita, infinitatem non arguit, nam de facto convenit naturæ limitatæ & finitæ: Ergo pariter licet posse connaturaliter terminari tribus subsistentiis divinis, idque ab intrinseco exigere, infinitatem naturæ necessariò requirat, posse tamen obedientialiter illis uniri, ab eisque terminari, infinitatem non arguit, sed naturæ finitæ & limitatæ convenire potest.

83. Dico secundò: unam personam divinam posse simul plures naturas assumere. Ita D. Thomas hic art. 7. & Theologi communiter.

Probaturatione D. Thomæ, ad hanc formam redactâ: Vis assumptiva conveniens divinæ personæ, non comprehenditur ab una natura creata: Ergo potest cum illa aliam naturam assumere. Consequentia patet, nam eo ipso quod vis assumptiva non comprehendatur ab aliqua una natura, non adequatur cum illa, ac per consequens illam excedit, ex quo ulterius fit: ut ad aliam assumendam possit extendi. Antecedens verò sic ostenditur: Vis assumptiva naturæ creatæ convenit personæ divinæ ratione omnipotentiae ut principii, & personalitatis ut termini: Sed nec omnipotentia ut principium, nec personalitas ut terminativa, comprehendere possunt ab una natura creata; cum omnipotentia ut activa, & personalitas ut terminativa sint infinitæ, & infinitum à finito comprehendere non possit: Ergo vis assumptiva competens divinæ personæ, comprehendere non potest ab una natura creata.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

84. Objicies primò contra primam conclusionem: Non potest unum & idem à pluribus adequatè dependere, aliàs penderet & non pen-

deret à quolibet, ut demonstrant nostri Theologi in physica, cum docent unum & eundem effectum non posse produci à pluribus causis casualibus & adequatis: At si natura creata tribus personis divinis uniretur, à qualibet illarum adequatè penderet: Ergo repugnatur unum & eundem naturam à pluribus personis divinis assumi. Major videtur certa, Minor verò suadet. Id ab altero adequatè dependet, quod existit illo positum, & quovis alio secluso: Sed natura creata tribus personis divinis unita, existeret posita unione cum qualibet illarum, & alio quocunque secluso: Ergo à qualibet divinarum personarum naturaliter & adequatè penderet.

Huic objectioni variè respondent Authores nostræ sententiae, sed verior solutio illa est quam tradunt Capreolus & Cajetanus, qui docent quod licet non possit unum & idem à duobus adequatè dependere dependentiâ causali, quæ est dependentiâ stricta; potest tamen dependentiâ non causali, sed terminativâ, quæ dependentiâ stricta non est, unum & idem à duobus dependere adequatè, adæquatione intensivâ, non tamen adæquatione extensivâ: unum enim alium unâ relatione similitudinis adequatè intensivè ab uno albo terminatur, non tamen adæquatè extensivè, potest enim ex vi ejusdem relationis alia plura alba terminari, & de facto terminatur ad omnia cum quibus in gradu intensivæ similitudinem habet. Patet etiam in creatis, ex ejusdem relationis quâ ad unum filium refertur, & ad illum adequatè intensivè terminatur, refertur ad novum filium, si adveniat, ac proinde à primo filio non terminatur adequatè adæquatione extensivâ: natura autem creata unita alieno supposito, non dependet ab illo dependentiâ stricta & causali, sed dependentiâ non causali & terminativâ, ut extremum terminabile à termino terminante: ac proinde quamvis unita uni ex personis divinis, ab illa adequatè intensivè terminetur, non tamen adæquatè extensivè; & idcirco unita ex personis divinis unita, potest uniri cum aliis.

Dices, corpus non dependet à loco dependentiâ strictâ & causali, sed tantum dependentiâ veluti terminativâ, comparatur enim ad illum tanquam ad terminum; & tamen implicat in sententia D. Thomæ, unum corpus esse circumscriptivè in duobus locis adequatis: Ergo licet natura non dependeat à personalitate, dependentiâ strictâ & causali, sed tantum terminativâ, repugnabit naturam semel ab una persona adequatè terminatam, ab altera terminari, & consequenter non poterit simul uniri pluribus personis divinis.

Respondet, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem: Ratio differentialis est, quia locus circumscriptivus adequatur corpori locato, non solum adæquatione intensivâ, verum etiam extensivâ; implicat autem duplex terminus adequatus utraque istâ adæquatione: una verò persona divina solum est terminus adequatus intensivè respectu naturæ creatæ, ac proinde illam ab alia persona terminabilem relinquit. Ratio autem cur locus circumscriptivus, non solum intensivè, sed etiam extensivè, corpori locato adequatur, secus autem una persona divina respectu naturæ creatæ, est quia extensio localis corporis provenit ex quantitate ut effectus formalis secundarius; forma autem non dat effectum formalem ratione potentie obedientialis.